



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 42. S. Pulcheriæ obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.  
A. C. 453.

§. XLII.

*S. Pulchericæ obitus.*

*Conc. Calc.*  
*p. 3. c. 14.*

*ibid. c. 13.*

*Vita S. Euthym.*  
*p. 67.*

*Marcel. Chr.*  
*Chr. Pasch.*  
*Martyr. R.*  
*10. Sept.*

*Cang. C. P.*  
*Lib. 4. c. 5.*  
*n. 57. c. 2.*

Pulcheria Imperatrix ad eosdem Monachos dedit Epistolam, cujus Summa Marciani epistolæ similis est, nempe eo præprimis collimat, ut suam, & Concilii Calcedonensis Fidem defendat, & sparsas a Schismaticis calumnias diluat. Aliam epistolam dedit ad Bassam, quæ Monasterium Virginum Jerosolymæ regebat; eadem etiam Monasterium virorum in honorem S. Mennæ fundavit, cui Abbatem præfecit Andream, ex S. Euthymii Laura Monachum. Ad Bassam igitur paulo post scripsit Pulcheria; ut moneret, si Theodosii calumniæ simplicem mentem quarundam Sanctimonialium decepissent, errorem deponerent, atque Fidei suæ, & Concilii Calcedonensis puritatem agnoscerent. Eodem an. 453. Imperatrix Pulcheria e vita migravit, Vincomalo, & Opilione Consulibus, annos 54. nata. Ecclesia ipsius, tanquam Sanctæ Virginis, memoriam, decima Sept. colit. Paulo ante obitum, aream Ecclesiæ S. Laurentii Constantinopoli in suo Palatio, ædificium admirabile, perfecit; plures alias extruxit Ecclesias, unam in Blachernis, (\*) Chal-

(\*) Locus erat in Suburbis Constantinopoleos.



copratensem alteram, & Hodegenam ter-  
 tiam. Omnes tres S. Virginis Honori  
 dicatae; in tertia Iconem, sibi Jerosoly-  
 ma ab Eudocia Imperatrice missam, quam  
 S. Lucas pinxisse ferebatur, (\*) posuit.  
 Aliqua præterea Hospitia infirmorum, &  
 Monasteria fundavit, dotavitque. Bona  
 sua omnia pauperibus testamento reli-  
 quit, & Marcianus, quæ scripta erant,  
 bona fide executus est.

Sæculum V.  
 A. C. 453.  
 Theod. Lect.  
 Lib. I. init.  
 & p. 552.  
 Soz. IX. c. I.

§. XLIII.

*Inventio Capitis S. Joannis Baptistæ  
 Emesæ.*

Hoc etiam anno 453. S. Joannis Caput  
 inventum Emesæ in Phœnice, ubi a  
 multo tempore sub terra in specu, penes  
 quem Monachi Sedem sibi delegerant, la-  
 tuerat. Huic Monasterio, Imperatoris  
 Marciani ætate, præerat Marcellus Pres-  
 byter, vir vitæ integerrimæ, cui S. Jo-  
 annes Baptista sub initium Februarii bis  
 per somnium apparuit; unus autem ex  
 Mona-

Marcel. Chr.  
 Pasch.

(\*) Judæi quidem, nam S. Lucas Judæus erat,  
 non solebant figuram humanam vel pingere,  
 vel sculperere; at post Evangelii Prædicationem  
 non amplius vixisse antiquam hanc Legem non  
 solum ista de Beatissimæ Virginis Imagine a S. Lu-  
 ca depicta traditio, sed etiam Statua ab Hæmor-  
 rhoïsta Jesu Christo erecta probat. Hodie hæc  
 Imago Romæ asservatur.